

TABVLA RECITATIONVM

IN
ACADEMIA LVDOVICIANA
PER SEMESTRE HIBERNVM
A DIE XV. OCTOBR.
C D I D C C L X X X I I .
I N C H O A N D A R V M .

RECTOR
ACADEMIAE LVDOVICIANAE
D. CAROLVS GVILIELMVS
CHRISTIAN. MÜLLER
C V M S E N A T V .

Triumphum, summum virtutis bellicae apud Romanos praemium, ne vilesceret, omni cautione ab iis prospectum, neque, nisi ducibus, qui res praeclare gesserant, decretum fuisse, neminem fugit. Illis nempe tantummodo, qui magistratibus maioribus fuisse, (non proconsulibus) qui suis ipsorum auspiciis, (non per legatos) qui in iusto & hostili (non ciuili, seruili, aut piratico) bello, qui sine clade, id est, sine ingenti exercitus detrimento, qui in acie, (non incruenta victoria & deditione repente facta) qui vno eodemque proelio (non paulatim) ita hostes contuderant, vt amplius quinque millia eorum occiderint, vt actum habuerint, id est, non accipiti, sed decretoria pugna vicerint, vt victoriam patrarint, vt pacem gloriosam obuinnerint, vel eius certam expectationem dederint, vt (non amissa recuperarint, sed) agris vel praeda rempublicam locupletarint, vt denique debellato prorsus hoste exercitum reducere potuerint, triumphum honorem concesserunt. De quibus omnibus conferatur *Gellius* Noct. Att. V. 7. & e recentioribus *Perizonius* Animadu. hist. cap. 6. Quum triumphus decus a senatu, qui extra urbem relationem ducis audire & diiudicare solebat, expetendum esset, quumque senatus de ea re ad populum ferret, maximas saepius exinde libera republica contentiones & altercationes oborras fuisse, minime mirandum. Sicuti enim tantus honor, qui non solum imperatorem ipsum, sed etiam omnem eius gentem ad seram vsque posteritatem nobilitabat, summo studio ambiebatur, ita non deerant aduersarii, qui gloriae eius inuidentes eripere ipsi lauream conabantur. Vt etiam ii, qui rem bellicam leuiter & sine cruore gesserant, aliquo honore maerari possent, minor quidam triumphus a Romanis inuentus est, quem *ouationem* dictum esse, neminem antiquitatis Romanae studiosum latet. Verum enim vero excimpla etiam ducum extant, qui triumphum quandam minus solennem & quasi priuatum iniustu senatus populiue Romani instituerunt. Fuerunt nempe viri gloriae cupidissimi iidemque bene de republica meriti, qui, quum illis triumphus ouatioque, praemia ab ipsis omnique exercitu sperata, negarentur, extra urbem *in monte Albano* (seu sicuti *Cicero* pro Mil. cap. 3 r. dixit, *Albanis tumulis*) in monte duodecim millibus passuum ab vrbe distante (in monte illo, in quo quotannis feriae Latinae celebrantur, quem sacrum Romani putabant, quia saepissime fulminibus tangebatur, atque in quo *Domitianus* Quinquatria in honorem Minervae instituit) triumpharent. Priuato tali triumpho multa defuerunt solennioris triumphus ornamenta. Urbem cum exercitu ingredi inuito senatu cum non liceret, non per urbem spoliatorum praedaeque ferula ostentari poterant, non magistratus senatusque festo habitu triumphantem antecederant, non Ioui Capitolino (sed Ioui Latiari) sacrificia immolabantur, dux non lauro, sed (*Plinio* Hist. Nat. XV. 38 teste) myrto, similiter ac ouantes, ornatus incedebat, ludosque deinde spectabat, denique nullus in talem triumphum sumtus ex aerario publico impendebatur. Singula triumphorum *in monte Albano* actorum exempla, quorum memoria superest, iam enumerare inuat. — In tabulis triumphorum Capitolinis, Romae effosis, quas plures scriptores (v. c. *Fr. Modius* in Pandectis triumphalibus) exhibuerunt, quibusque omnes triumphus inde ab vrbe condita vsque annum 764 indicantur, ad annum vrbis conditae DXXII. *M. Pomponio* *Maehone* & *C. Papirio* *Mafone* *Coss.* leguntur haec: *C. Papirius* *C. F. L. N. Mafone* *Cos. de Corfeis primus in monte Albano III. Nonas Martii.* Cuius quidem triumphus *Festus* etiam de V. S. sub vocibus *Myrtea corona* meminit. Primum omnium *Papirium Mafonem* talia ausum, restantur ex *Pisonis* annalibus *Plinius* Hist. Nat. XV. 38, & *Valerius Maximus* III. 6. his verbis. " *Papirius Mafone*, cum bene gesta republica triumphum a senatu non impetrasset, *in Albano monte* triumphandi & ipse initium fecit, & caeteris postea exemplum praebuit. " *Jamiam* bello Punico primo *Corfeam* simul atque *Sardiniam* *Consules* *L. Cornelius Scipio* & *C. Aquilius Florus* (vid. *Florus* II. 2) Romanis subiecerunt, interque pacis condiciones, qua

C. *Lucatio Catulo* & A. *Postumio Coff.* bellum illud finiebatur, haec etiam (*Polybio* III. 27. auctore) fuit, ut non solum *Sicilia*, sed etiam omnes intra *Siciliam* atque *Italiam* insulae, adeoque etiam *Sardinia* ac *Corfica* Romanis attribuerentur. Quemadmodum utem *Sardi* iam anno tertio post bellum Punicum a Romanis defecerant, iterumque debellandi fuerant, ita anno sexto C. *Licinio Varo* & P. *Cornelio Lentulo* *Coff.* *Corfi* desciverunt, qui quidem mox devicti sunt, atque identidem res novas moliebantur, adeo, ut eorum causa bellum cum *Carthaginiensibus*, qui instigare eos a Romanis incusabantur, paene redintegratum fuerit. Anno octavo, quum *Corfi* iterum cum *Sardis* & *Liguribus* contra Romanos coniurassent, *Carnilius* Consul, contra *Corfos* missus, eos superavit. Anno decimo contra *Sardos* denuo tumultuantes ambo Consules profecti magnam ceperunt praedam, quae ipsis (vid. *Zonarae* annales) a *Corfis*, quum eo appulissent, erepta est. Cuius perfidiae vindicandae causa anno sequente C. *Papirius Maseo* *Corfos* cum exercitu inuasit, qui, postquam eos in planitie pulsos in montes adegerat, per insidias multos milites amisit, & prae seiti plures adhuc amisisset, nisi, tandem aqua inuenta, *Corfis*, ut deditionem facerent, persuasisset. *Papirius*, triumphandi causa redux, inuenit C. *Duilium* dictatorem creatum propter comitia novis magistratibus designandis habenda. Fortasse *Papirius Duilium* illum aduersarium grauem habuit, eoque impeditus est, quo minus triumphum, quem optabat, obtineret. At causas, etsi in annalibus non memoratas, suspicari licet, quas forsitan *Duilius* alique obtendebant, qui *Papirio* triumphum honorem denegarunt. Non novam quandam terram *Papirius* occupauerat, sed rebellem solum domuerat provinciam; persuasit magis, quam vi armorum, *Corfos* ad deditionem induxerat; non sine omni clade victor fuerat, multis militibus per insidias amissis, dictatore denique creato non tanquam consul urbem ingredi poterat. *Papirium*, triumpho per montem *Albanum* acto, corona *myrtea* ornatum incesisse, *Festus* his verbis testatur: "Myrtea corona *Papirius* usus est, quod *Sardos* in campis myrteis superasset." Ut taceamus, pro *Sardis* hic *Corfos* ponendos esse, (contra *Sardos* enim alter Consul *Pomponius* missus est) de ratione ista, propter quam pro lauro *Papirius* myrtam adhibuerit, vehementer dubitamus. Etsi enim in *Corfica*, vino caeterum melleque abundantis, vallibus illis, in quibus *Corfi* a *Papirio* profligati sunt, myrteta extitisse haud negemus: tamen myrtum ab eo ad imitandam *ovationem* adhibitam fuisse opinamur, in qua myrti, *Veneri Vilitrici* sacrae, usum frequentissimum fuisse *Plinius* in loco supra laudato docet. Caeterum *Fons* delubrum *Masonem* e *Corfica* dedicasse, *Cicero* de Nat. Deorum III. 20. auctor est. Reliqua exempla similis triumphum in monte *Albano* instituti imposterum exponemus. Quemadmodum sapientissime Romani instituerunt, ut non solum triumphum, sed etiam variorum aliorum praemiorum militarium expectatione duces militesque ad virtutem incitarentur, (recte enim *Liuius* IV. 35 dixit: "Praemia magna conatis magnis si proponantur, homines nihil non aggrediuntur.") ita in militia togata aut literata (ut verbo *Codici* *Theod. Tit.* de prox. sacr. ser. utamur) haud exigua praemia industriae atque solertiae, laudes, honores, reditus expectari possunt. Quae quidem quum a *Vobis*, *Commilitones aeternarissimi*, quotidianis votis exoptentur, omnes intendite vires, ut votorum, quam primum fieri possit, compotes fiat.

LECTIONES THEOLOGICAE.

D. IOH. GEORG. BECHTOLD hora VIII. & X. antemeridianis *theologiam dogmaticam*, praeeunte Ven. DOEDERLEIN, praeleget, & intra semestre temporis spatium absolvet. Hora II. pomeridiana *collegium catechetico-practicum* in usum eorum aperiet, qui iam omnibus ad hoc genus laboris necessariis subsidiis, a *theologia dogmatica*, *moralis*, & *exegetica* sacra praesertim repetitis, sese satis instructos sentiunt.

D. LVD. BENI. OUVRIER. Hora IX-X. *theol. moralem*, docebit duce TITMANNO. X-XI. *Theol. polemicam*, s. *Geschichte der Religionen* ad proprium Compendium. II-III. *Historiam ecclesiasticam* enarrabit ad MOSHEMIVM. III-IV. *privatissime* librum *historicum* V. T. explicabit. Nec iis deerit, qui *homileticae* arti operam daturi sunt.

IO. CHRISTOPH. FRID. SCHVLZ hor. VIII-IX. *Historiam ecclesiasticam* ex *Walchio* enarrabit. Hor. IX-X. *Epistolas Pauli ad Romanos* & I ad *Corinthios* ex *Griesbachiana* textus recensione explicabit. Hor. X-XI. *Theologiam pastora-*llem tradet.

LECTIONES IURIDICAE.

D. IO. CHRISTOPH. KOCH *Pandectas* ex HELDFELDIO, *ius Canonicum* e BOEHMERO, *ius Criminale* e compendio suo horis consuetis tradet. *Disputatorium* quoque & *Examinatorium* offert.

D. IO. DANIEL HENRICVS MVSAEVS. Hor. VIII-IX. *Ius publicum* I. R. G. docebit. Hor. II-III. *Ius Germanicum privatum* SELCHOVIO praeeunte tradet. Hor. III-IV, tribus per septimanam horis, *collegium elaboratorio-practicum* habebit; alternis vero diebus *praelectiones encyclopaedicas* offert: nec iis deerit, qui *introductionem ad processum summorum imperii tribunalium*, & *expositionem iuris mercatorum ac cambialis*, ad ductum librorum suorum desiderant.

D. HELVICVS BERNHARDVS IAVP hora II-III. *ius feudale* duce BOEHMERO, hora III-IV. *historiam imperii R. G.* praeunte PÜTTERO, tradet; paratus quoque ad collegium processuale practicum denuo aperiendum.

D. IO. GODOFR. SIGISM. ALBR. BVCHNER. Publice singulis diebus *mercurii* hora I-II. ad lib. 49. D. de *appellationibus* commentabitur. Eadem hora singulis diebus *veneris* collegium *disputatorium* in usum selectissimorum auditorum aperiet. Priuatim hora VIII-IX. praelectiones ad HEINECCI *elementa iuris civilis secundum ordinem institutionum* habebit. Hora X-XI. *historiam iuris uniuersi per germaniam obtinentis* duce SELCHOVIO docebit. Hora XI-XII. *ius naturae & gentium* ex HOEPFNERI compendio tradet.

LECTIONES MEDICAE.

D. IO. LVD. FRID. DIETZ. H. IX-X. Physiologiam duce Metzgero explicabit. H. X-XI. Examinatorium continuabit. Ad alia quoque paratissimus.

D. CAROL. GVIL. CHRISTIAN. MVLLER, priuatim h. VIII-IX. Pharmaciam h. IX-X. Materiam medicam & h. II-III. Historiam naturalem docebit. Publice clinicas exercitationes moderabitur. In laboratorio chemico operationes physico-chemicas instituet & lectiones chemicas theoreticas desiderantibus non denegabit.

D. GEORG. THOM Corpora humana dissectandi rationem in theatro anatomico h. IX-XI. demonstrabit, & h. I-II. partes praeparatas explicabit. H. VIII-IX & II-III. operationes chirurgicas theoretice tradet, quibus practicas in theatro anatomico instituendas superstruet. H. XI-XII. de morbis chronicis aget.

D. ERNESTVS SCHWABE, Medic. P. P. O. tradet hor. IX-X. *Pathologiam*, ad praecepta *Gaubii* (Anfangsgründe der Medic. Kranckheitslehre). Hora X-XI. *Medicinam forensam*, duce *Fasclio*, (Gerichtl. Arzneigelahrheit). Addet praelectiones publicas hor. II-III. exhibituras praecepta *diactetica*.

LECTIONES PHILOSOPHICAE.

CHRISTIANVS HENRICVS SCHMID, Prof. Primar. Hora II-III. *Encyclopaediam scientiarum omnium* e libro suo: *Abriß der Glehrsamkeit* tradet, Hora III-IV. *Antiquitates Romanas* duce *Rullmanno* enarrabit, Hora IV-V. *Sallustii bellum Catilinarium & Iugurthinum* illustrabit, ad alia quoque paratissimus — Bibliothecam publicam diebus Mercurii & Saturni Hora II-III. aperiet.

HENR. MART. GODOFR. KOESTER Hist. P. P. O. hor. IX-X. Historiam *Statum Europae*, hor. XI-XII. Historiam *uniuersalem*, hor. IV-V Philosophiam *moralem*, ad Compendia sua docebit. Offert & praelectiones in Historiam *ecclesiasticam* ad compendium *Schroechhianum*.

GVILIELMVS FRIDERICVS HEZEL, LL. OO. P. P. O. hor. X-XI. interpretabitur libri *Iobi* carmina praestantissima. Hor. XI-XII. repetet *institutiones linguae Hebraicae*, ad leges suas (Kürzere Hebr. Sprachlehre), additurus praxin analyticam vel libri *Iosuae*, vel *Prouerbiorum Salomonis*. Hora I-II. tradet fundamenta *linguae Arabicae*, ad praecepta sua: (Erleichterte Arabische Grammatik u. Chrestomathie,) adaperiturus cupientibus & Scholas alias.

D. AVG. FRIED. GVIL. CROME. *Oeconomiae & scientiarum Cameralium* P. P. O. Hora III-IV. *GEOGRAPHIAM totius terrarum orbis*, ad *Fabri* libellum exponet. Hora IV-V. *IVS PVBLICVM VNIVERSALE*, vna cum *disciplinarum POLITICARVM omnium* elementis, ad *filium suum* proponet: Hora V-VI. *STATISTICAM*, vt vocant, *Europae regnorum* narrabit, *Achenwallii* compendium, ex recensione *Sprengelii*, sequiturus. Denique, Hora II-III. *Artis PAEDAGOGICAE praecepta* tradet, inseriturus iis, qui olim puerorum *iuuenumque regundorum atque instituendorum partibus*, siue *domesticis siue publicis*, fungi cupiant. (*Theoretische und Practische Anweisung für Lehrer u. Hofmeister. u. s. w.*) Nec iis decrit, qui *OECONOMIAE POLITICAE*, seu *DOCTRINAE*, quam dicunt, *CAMERALI*; aut *SCIENTIAE FORESTALI*, aut *rerumpublicarum Imperii Germanici singularium STATISTICAE*, operam nauare velint.

IO. FRIDER. ROOS, Philof. D. & P. P. O. Memoriam rerum per *ſingula Europae regna* inde a ſec. V. ad noſtra vsque tempora geſtarum tradet h. I.; *Gnomicos Poetas Graecos*, a *Brunckio* editos, perpetua adnotatione illuſtrabit h. III.; elaboraturus denique, vt deſiderio illorum, qui *Anglice* ſcire cupiunt, fiat ſatis.

GEORG. FRID. WERNER, ſc. mil. P. P. O. Hor. II-III. *Architecturam civilem oeconomiam* docebit, Hor. III-IV. praelectiones in *rem militarem* habebit.

FRID. LVD. WALTHER, P. P. O. per ſeſtre hybernum *Oeconomiam ruralem* ad Compendium a ſe editum h. IX-X. *Historiam naturalem arborum & fruticum Germaniae* h. XI-XII. *Encyclopaediam ſcientiarum cameralium* ad compendium *Lamprechtianum* docebit.

GEORG. GOTTLIEB SCHMIDT, P. M. O. Hor. II-III. *Mathesin puram* (nach Klügel), Hor. III-IV. *Phyſicam experimentalem* (nach Erleben) priuatim docebit. Hor. V-VI. praelectiones in *Mathesin applicatam* continuabit.

CAROL. CHRISTIAN. ERH. SCHMID, Philof. D. P. P. O. docebit priuatim *Logicam* ex propriis dictatis hor. XI.; publice tradet *Theologiam rationalem*, ſecundum libri ſui: *Moralphilosophie* Ienae 1792. ea capita, quae de Deo & religione ſunt inſcripta, hora IV. Hora denique ea, quae auditoribus commodiſſima videbitur, ſermones de *Philosophia Kantiana* *historicos & populares priuatiffime* habebit, niſi forte ad alias *Philosophiae* partes explicandas commilitonum honoratiſſimorum deſiderio commotus fuerit.

LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

D. FERDINAND. GEORG. DANZ, *ſemioticen* vna cum methodo aegrotos rite examinandi, *Historiam naturalem* BLUMENBACHIO duce, *Artem formulas medicas concinnandi* praeunte GRVNERO, *Oſteologiam ad ſilum SOEMMERRINGII* tradet. Horas ſuo tempore ac loco indicabit.

FRIDERICVS GVIL. DAN. SNELL, Philof. Prof. P. E. O. Publice diebus Iouis & Martis hora IV-V. principia *philosophiae criticae* tradet. Hora V-VI. *logicam & metaphyſicam* ad Federi compendium priuatim docebit. Ad alias praelectiones *philosophicas & metaphyſicas* paratus eſt.

IO. GEORG. FRID. LEVN, Ph. D. & P. P. E. O. Hor. III. *Terentii Fabulas* interpretabitur. Hor. IV. *Grammaticam hebraeam* e compendio minori *Hezeliano* tradet, *explicationem Geneſeos* coniuncturus. Ad ſcholas *arabicas vel ſyriacas* apertendas paratus erit.

CAROLVS SIGISMVND. LVDOV. SCHALK, Canonicus *Wormatiensis* & in huiate *Ludouiciana* Prof. honor. Ius canonicum e libro ſuo: *Lehrbuch des catholiſchen und proteſtantiſchen Kirchenrechts &c. &c.* *Diplomaticam & Heraldicam* e compendio *Gruberiano* ab ipſo emendatus edito; *Encyclopaediam iuridicam* e *Reitmeiero* & *historiam iuris* e libro: *Gefchichte des römischen, canonischen und deutſchen Rechts zu Vorleſungen* gr. 8. *Leipzig 1791.* priuatim horis pro lubitu DD. Auditorum adhuc determinandis recitabit. Offert quoque collegia elaboratoria, praecipue in artem ad collegia referendi & *praxin conſiſtorialem*.

LVDOVICVS EMMERLING Hora X-XI. bis per hebdomadem praelectiones in *Orologiam*, (*Gebirgslehre*) quae ſuperficiem exteriorem montium, quatenus in oculos cadit, & varias moles ſeu maſſas, quae eos efficiunt, (*Gebirgsarten*) perſequitur, habebit. Hora I-II. principia *Fodinarum culturae* (*Bergbaukunst*) exponet. Hora II-III. quater per hebdomadem *Mineralogiam* docebit. Bis per hebdomadem, horis auditoribus commodis, methodum, argentum ex eius mineris & per ignem & *amalgamationem* trahendi, publice enarrabit. Nec denegabit iis officium ſuum, qui lectiones *chemicas* deſiderant.

Praeter iſta Generoſiſſimis Nobiliſſimiſque Ciuibus de *luculenta equitandi, pugnandi gladio, ſalutariſque palaestra, Anglicae, Gallicae & Italicae* linguae ſcholis, per magiſtros eorum peritiſſimos, publice conſtitutos, abunde proſpectum eſt.